DISSERTATIO MEDICA
DE
VSV ET ABVSV NICOTIANAE

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRO
CONSEQVENDIS SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

SIGISMVNDVS PETITMAITRE

NEOSTADIENSIS
D. XXXI. AVG. MDCCLVI.
H. S.
IN AVDITORIO MEDICORVM AESTIVO.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum. *Horat.*

BASILEAE.

TYPIS, JO. HENRICI DECKERI, ACAD. TYPOGR.

VIRO

NOBILISSIMO AC EXPERIENTISSIMO

IO. HENRICO RESPINGERO

PHILOSOPHIAE & MEDICINAE DOCTORI
CELEBERRIMO
FACVLTATIS ASSESSORI DIGNISSIMO
PRACTICO FELICISSIMO
IN ARTE MEDICA PRAECEPTORI ATQVE
PATRONO SVO AD EXTREMVM VITAE
HALITVM COLENDO.
NEC NON
PATRI OPTIMO AC HONORATISSIMO

SIGISMVNDO PETITMAITRE

MEDICO ET CHIRVRGO EXPERIENTISSIMO
DEXTERRIMO
SENATORI PRVDENTISSIMO
HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
CEV
PVBLICVM GRATI ANIMI TESTIMONIVM
SACRAS FACIT

AVCTOR.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO CANDIDATO

S.

IO. HENRICVS RESPINGERVS
PHIL. & MED. DOCT.

INter eximias herbae nicotianae vires, ab Auctoribus medicis merito ipſi conceſſas, ad varii generis morbos non ſolum praecavendos, ſed eosdem etiam praeſentes profligandos, praecipue mihi eminere videntur binae illae virtutes inſignes, quae fumigationi ejuſdem adſcribi ſolent, primo, quod functiones dictae animales, ut memoria, ingenium, intellectus, ac judicium ejus uſu modico acuantur & perficiantur non ſolum, ſed mens profundis meditationibus, ſicque veritatibus inveſtigandis, aptior etiam reddatur; Deinde, quod ducat ad longaevitatem. Duo ſane haec ſunt bona ab omnibus, praeſertim vero Muſarum Filiis, anxie deſideranda & expetenda. Summo hinc jure praeferenda eſſet haec planta omnibus ſic dictis maximisque encomiis ornatis panaceis, ſive medicamentis univerſalibus, quibus inveniendis ab omni tempore inhiavit Medicorum vel potius Medicaſtrorum chorus, ac ſub ſpe impetrandae eorum uſu longaevitatis, crumenam ſibi emungi cum voluptate quadam a talibus Jactatoribus inanibus concedit credula plebs. Primam ejuſdem proprietatem eruditiſſimo & fecundiſſimo hocce tui ingenii fetu, ac propria experientia probas & confirmas; Alteram vero, ut poſt neſtoreos demum annos experiaris, ex animo opto Interea Vitam jucundam, incolumem, pluribus aegris ſalutarem, tibique honorificam, memoremque mei, apprecor, Vale.

Juſqu'ici toujours incertain
Si le tabac étoit nuiſible,
Il me paroiſſoit fort riſible
Qu'on voulut fumer le matin.
Mais ton élégant ouvrage
M'a tiré de mon erreur;
Un Savant dans chaque page
Sans ceſſe inſtruit le Lecteur.

Haec qualia ſunt
Doctiſſimo Domino Candidato in ſignum
perpetui Amoris appoſuit.

JOH. PHIL. de TREITORENS,
Ebrodunenſis, Med. Cultor & Opp.

Certatimque colligentes flores in horto,
Dum Muſae laborant Te circumdare ſertis,
Virtutibus Tabaci de magnis, ô Amice.
Paucis tractantem verbis, ſed apprime dictis.
Ipſe Tibi gratulor ſic de futuro honore:
Votisque meis Numen, die nocteque, fatigo,
Vt Tibi fata fluant proſperaque ſecunda,
Medicique manu, praebeas opem, periti
Τοῖς αρρωςοις. Ut & ornato perpetua laude
Sit longa Tibi vita curſusque remotus
Poſſit Tibi & Patria ut multa locare,
Trophaeaque! nomen clarius ut Tibi reddas.

In Amicitiae nunquam ceſſaturae
teſſeram, haecce apponere voluit.

C. L. CRETTE, Neoſtadienſis.

DIS-

ABUSUS
NON TOLLIT
USUM.

DISSERTATIO
DE
USU ET ABUSU NICOTIANAE.

§. I.

Nicotiana nomen ſuum accepit a JOANNE NICOTIO Regis Galliae Conſiliario, qui eam Anno 1560. Gallis notam fecit; Hic Ulyſſiponae Legati munere fungens, hanc plantam a Belga quodam, ex inſula Florida allatam, accepit, & in patriam ſecum apportavit. Ab aliquibus *Sana ſancta* nominatur, veroſimile ob admirandas ſuas virtutes; Ab aliis *Herba Panacei*, quamquam minus recte. Dicitur etiam *Tabacum*, *Tabaco*, *Tubaca*, a novae Hiſpaniae Provincia, ex qua eam Hiſpani primum advexerunt, quod *Tabaci* nomen, Germani Gallique retinuerunt. Braſiliani *Petum*, Mexicani *Picielt*, vel *Perebecenuc*, ſicut vult OVIEDUS, vocant: Ab indigenis Virgineae *Uppowoc*, & aliis aliter nominatur.

§. II.

Pertinet autem haec noſtra planta ad claſſem quintam *Illuſt.* LINNAEI, cum ſit *Pentandria*, *Monogynia*, cujus characte-

res habentur in ejusdem *Gener. plantar.* 179. Quatuor vero tantum ſpecies ſequentes recenſentur ab eodem in *Spec. plantar. p.* 180.

Tabacum 1. Nicotiana foliis lanceolatis.
Nicotiana major latifolia. *Bauh. pin.*
Blennochoes. *Reneal.*
Habitat in America, *nota Europaeis ab* 1560.

ruſtica. 2. Nicotiana foliis ovatis.
Nicotiana minor. *Bauh. pin.*
Pachyphylla. *Reneal.*
Habitat in America, *nunc in Europa.*

paniculata 3. Nicotiana foliis cordatis, floribus paniculatis: tubis clavatis.
Nicotiana minor, folio cordiformi, tubo floris praelongo. *Fewill.*
Habitat in Peru.

glutinoſa. 4. Nicotiana foliis cordatis, corollis racemoſis ſubringentibus, calycibus inaequalibus.
Habitat in Peru.

Si vero quaeratur, quaenam ſit ſpecies Nicotianae, quae odoris ſaporiſque ſuavitate, ac virtute medica reliquas antecellat? Reſpondere videtur Neander *in ſua Tabacolog. gallic. p.* 11. 13. 15. cui Geoffroy in ſua *Materia Medica* conſentit. Ille tres primas ſpecies Bauhini (cujus ſecunda eadem eſt forſan cum prima, juxta Linnaeum, Aegidium, Everhardum aliosque) figuris expreſſit, ac ſingularum virtutes ac praerogativam verſiculis ſequentibus indicare voluit.

I. Nicotiana major latifolia *C. B.*

Je ſuis le Tabac mâle, enflé de noms ſuperbes,
comme herbe de la Reine (a), ou la Reine des herbes.

II. Ni-

(a) Nicotius enim ſemina hujus plantae Reginae Catharinae de Medi-

II. Nicotiana major anguſtifolia *C. B.*
Je ſuis Tabac femelle, & en vertu j'égale
quelle plante qui ſoit, mais j'excepte mon mâle.

III. Nicotiana minor *C. B.*
Des deux cy devant peints, je me voy ſurmonté
en grandeur, en renom, en degré de bonté.

In Medicina vero hae tres vel ſolummodo duae ſpecies adhibentur, juxta Geoffroy, aliosque.

§. III.

Multum inter Medicos ſemper diſputatum fuit, num Nicotiana frigidae vel calidae ſit naturae? Hanc controverſiam decidemus primo ex ſapore, utpote ex quo optime facultates ſimplicium juxta Galenum dijudicantur: Eſt enim acris, ſubamarus, ſalſus & valde penetrans ejus ſapor. Deinde ex ejus analyſii chymica, qua elicitur ſpiritus, multum olei, ſalis valde acris, volatilis, fixique. Ob quem ſaporem atque analyſin chymicam, calidam temperiem, ſeu potius vim calefaciendi & ſiccandi merito ipſi adſcribimus. Inde etiam ratione iſtarum partium conſtitutivarum, vim incidendi, reſolvendi, abſtergendi, attenuandi, aperiendi, conſolidandi & leniter conſtringendi, eidem concedimus. Et hae quidem ſunt proprietates, ac virtutes ejus generales: Nunc vero quibus affectibus in ſpecie conveniat, ac ſub quibus formis uſurpari ſoleat, videbimus.

§. IV.

Adhibita eſt Nicotiana contra inflammationem pollicis, dum folia recentia impoſita fuerunt, juxta *obſervat.* Platneri *lib. 2. p. m.* 504. In Podagra folia conquaſſata, *ibid. p.* 491. Ad ulcera cacoëthea tibiæ, *ibid. p.* 540., hinc mire ſublevantur aegri, continuando

Medices pluribus cum encomiis de virtutibus inſignibus ejusdem dederat. Haec eadem in horto regio terrae committere juſſit, ac cum dein experientia ipſa pluribus ſucceſſibus fauſtis confirmaret virtutes ac laudes egregias, quibus ornata fuerat haec planta, nullo alio, quam ſuo proprio nomine, inſigniri voluit, unde vocabatur *l'Herbe à la Reine.*

nuando hunc uſum per aliquot dies, donec tumor & dolor remittant. In ſuffocatione uteri, folia probe calefacta & umbilico uterique regioni impoſita, optimum conſtituunt remedium; quod ſi, ut fit interdum, animi deliquium ſubſequatur, fumo illorum naribus oblato, illico liberabitur aegra. Nicotianae folia ori indita, & leviter maſticata, dolorem dentium mirifice ſedant, ſed insimul, ne corruptio ulterius ſerpat, prohibent. Ad perniones ſanandos conducere, ſi ter aut quater hujus plantae foliis fricentur, deinde pars affecta aqua calida cum ſale abluatur, experientia docuit. In cruditatibus ventriculi, nephritide, articulorum doloribus, carbunculis, ulceribus & vulneribus, tam recentibus quam vetuſtis, efficaciſſime folia haec calida apponuntur, juxta Clusium *pag.* 331. *& ſeq.* Vel ſuccus tantum exhibetur, qui in omnibus fiſtulis & abſceſſibus, pro arcano habetur a multis. Contra toxicum cannibalum, validum eſſe remedium, ſi ſuccus expreſſus vulneri primo imponatur & ipſa deinde folia trita, refert S. Pauli *in Comment. de abus. Tabac. & herb. Theae. p.* 2. Eodem modo ad ictus morſusque virulentorum animalium utiliſſimum eſſe, experientia probavit. Vermes expellit foliorum ſuccus cum ſaccharo coctus & depuratus, pauca in quantitate ſumptus, umbilico tamen ſimul imponendum eſt folium tritum, ac alvus deinde lacte ſaccharato eluenda eſt. Notatu dignum, quod Monardes recenſet de Indis hac herba famem ſitimque ſolantibus hoc modo: *Conchylia quædam cochlearum fluviatilium urunt, deinde atterunt calcis inſtar, hujus & foliorum nicotianae, aequas partes ſumunt, manduntque, donec ex utrisque maſſa quaedam fiat, quam in pilulas piſo majores redigunt, atque in umbra ſiccatas, in uſum reponunt: Facturi iter per deſerta, ubi neque cibum neque potum reperturos ſe putant, harum pilularum ſecum delatarum, unam inter labrum inferius & dentes reponentes, ejus liquorem aſſidue ſorbent, qua abſumpta, aliam reponunt, atque iterum aliam, donec peregrinationem triduanam aut quatriduanam abſolverint, iſtaque ratione toto illo tempore, neque famem ſibi moleſtam eſſe, neque ſitim aſſerunt.* Foliorum nicotianæ ſuccus cum ſpiſſamentis linteis exceptus, novies aut decies applicatus, optimum eſt remedium ad ſcrophulas diſcutiendas. Quod Theodo-

RUS

RUS ZUINGERUS in ſuo *Theatro Botanico* a) *p.* 1199. *& ſeq.* confirmat, obſervatione cujusdam Ducis militum, qui filium ſuum, ſcrophulis miſere afflictum, in Galliam ad Regem ducturus (quod vulgo perſuaſum eſſet, Galliae Reges id morbi genus curare tactu, dicendo haec verba: *le Roy te touche, Dieu te guéri!* Rex te tangit, Deus te ſanat.) Legato NICOTIO occurrerat, qui in hoc nicotianam ſuam etiam tentans, diebus paucis poſtea juvenem ſcrophulis omnibus liberavit. Succus ex foliis recentiſſimis expreſſus, cum butyro majali ad conſiſtentiam unguenti coctus, exterius clauſis palpebris illitus, egregium expertus fuit ophthalmicum. Idem ſuccus cum melle mixtus conducit ad pediculos varii generis, ubicunque locorum latentes depellendos, ſi pars affecta perungatur.

§. V.

In forma Eſſentiae aut Tincturae utilis quoque eſt ad varios affectus pectoris, capitis & uteri. Talis ex. gr. juxta ETTMULLERUM confici poteſt ex *fol. nicot. virid. & roſar. incarn. in umbra exſiccat. q. v.* extrahatur vitro clauſo in loco tepido beneficio ſpiritus vini Tinctura; hujus vis inſignis eſt in attenuanda, reſolvenda, incidenda pituita viſcida; hinc proficua admodum eſt in aſthmate, tuſſi, & ſimilibus affectibus, a mucilagine craſſa, pulmonum tubulos aliasque partes infarciente, obortis. In lethargo Tincturam nicotianæ ſpiritu vini extractam ad ʒii cum melle exceptam orique infuſam, potenter ſerum educere, refert RIVERIUS *cap. de affectib. ſoporos. p.* 203. Cum Eſſentia foliorum nicotianae viridium, ſola infuſione cum vino malvatico facta, praecedentibus ſudoribus, membra paralytica diutius fricanda eſſe, jubet HOFMANNUS *in method. Med. Vallaeian. p.* 287. Eſſentiam nicotianae rite praeparatam, ſpecificam uterinam vocat GLAUBERUS. Folia nicotianae vino imprimis, vel alio cuicumque liquori infuſa, purgant per ſuperiora inferioraque, ex. gr.

(a) a Filio ipſius FRIDERICO ZUINGERO *Theor. Profeſſ. celeberrimo*, aucto, denuoque edito An. 1744.

ex. gr. ℞. *fol. nicot. maj.* ℥j. infundatur per noctem vino, mane lente exprime & pota, quæ potiuncula egregie ἌΝΩ *καὶ* ΚΑΤΏ purgat, quod propria experientia probatum eſt.

§. VI.

Syrupus nicotianae, qualis in officinis proſtat, ad aſthmaticos affectus, in quibus pulmones pituita craſſa ac viſcida infarcti ſunt, ac tuſſim humidam, qua expectoratio difficulter ſuccedit, a pluribus commendatur. Cerebrum a catarrhis & fluxionibus ſeroſis ac frigidis liberat: Imo inſignis vis eidem tribuitur ad tollendam epilepſiam. Sicuti vero pectus mirifice per auctam expectorationem evacuat, ſic ſimul etiam alvum potenter movet. Quod ſi vero nauſea vel vomitus exinde excitetur, ut fit interdum, imprimis quando non rite eſt præparatus, hauſto vino calido aromatiſato, mox conquieſcet. Ad lumbricos necandos & expellendos utile quoque eſt remedium. Timaeus *à* Guldenklee *pag.* 906. exhibet ad aſthma ſyrupum compoſitum nicotianae, quem in empyemate & pure pectoris, ſive ex pleuritide ſuppurata, ſive vomica rupta &c. expertiſſimum Epiphanus Ferdinandus, ſicut & plurimi alii celeberrimi Practici, cenſent remedium hunc ſyrupum, maxime ſi ſyrupus de hedera terreſtri aut ſymphyto Fernelii addatur.

§. VII.

In forma aquae, quae mixta cum nicotianae ſucco & aliquot guttis olei ſulphuris, ſicuti Langius vult, erit egregium auxilium in aſthmate, non ſolum adultorum, ſed & infantum, tunc temporis imprimis, quando metus eſt ſuffocationis. Nicotianae aqua deſtillata, omnem hydropem ſanat, quae arte medica curari poteſt, juxta Neandrum *pag.* 213. Contra tertianam ante paroxiſmum hauſtam extollit Hartmannus. Adverſus quartanam vero Heurnius. In aſthmate, ſi requiratur vomitorium, aquam nicotianae principem obtinere locum, exhibitam ad unciam unam, vel redactam in ſyrupum cum ſaccharo ad duo

coch-

cochlearia, refert Riverius. *p.* 297. Ad calculos deturbandos, *ibid. p.* 419. Ad calculos deturbandos *ibid. p.* 419. Zaçutus Lusitanus *in obſerv.* 58. *lib.* 2. *Prax. admir.* hanc aquam etiam praedicat his verbis: *Memini me pluries calculos magnos, renum cavo tenaciter impactos, uſu ſtillatitiae aquae ex nicotiana viridi extractae, in potu exhibitae, per urinam deturbaſſe.* Eſt etiam ſingulare remedium ad ardorem ventriculi, aliter *Scheur-buyck* vel *Soda* vocatum: nimirum ſi os ſaepe cum nicotianae aqua deſtillata abluatur, quod ſaepiſſime expertum fuit.

§. VIII.

Ejuſdem Decocti uſum internum etiam praedicat Lusitanus *ibid.* ad calculos deturbandos. In hydrope laudatur a Magneno, viribus adhucdum conſtantibus. Ad dentium dolorem commendatur ab Heurnio. Contra aphtas, ſuccus nicotianae cum melle aut ſaccharo coctus, probatiſſimum eſt remedium, ſi os ſaepiſſime eodem colluatur. Decoctum factum cum plantagine, aloe &c. optimum cenſetur auxilium in mundificatione ulcerum; ut & ad cutaneos affectus, herpetem, ſcabiem &c. Decocto foliorum nicotianae, ſub ſpecie clyſmatis injecto, epilepſiam ſublatam legimus in Ephem. *N. C. Dec.* 2. *A* 3. *obſ.* 51.

§. IX.

Proſtat etiam in officinis Emplaſtrum nicotianae Le Mort dictum, ab Auctore ſuo commendatum ſpleneticis; hoc abdomini impoſitum, alvum obſtructam reſerare experientia comprobatum eſt. Extractum feliciter commendatur ad tuſſim pectoralem & phtyſicam diuturnam mitigandam & corrigendam; in febribus etiam diuturnis, tertianis & quartanis, nec non in ictero ac hydrope magni effectus eſt. Oleum laudatur ad hypochondriacos affectus, membra paralytica fovenda, & tumores diſcutiendos; ſcabioſis & ambuſtis etiam conducit. Laurentius Joubertus habet praeſtantiſſimum unguentum de nicotiana, cui miram in ſcrophulis diſſipandis vim adſcribit: laudatur etiam ad ulcera, morpheam, tineam capitis, & ad ſcabiem &c.

§ X. Sub

§. X.

Sub forma pulveris naribus attracti frequentiſſimo in uſu eſt nicotiana, pauci enim ſunt, qui ejus uſu non delectentur; Et ſemel eidem aſſueti difficillime poſtea ipſo abſtinere poſſunt, nam ſunt, qui defectu pulveris hujus, alium quemcunque fere ex variis foliis contritis, attrahunt: Optimum eſt medicamentum in oculorum fluxu, ſurditate & dolore capitis &c. ex pituita ortis, praecipuae vero mixtus cum aliis ſternutatoriis, ut ex. gr.

℞. herb. Majoran.
flor. Betonic.
Lilior. convall.
fol Nicot. major. āā ℥j.
Ambr. gris. gr. jj.
Moſch. gr. j.
f. pulv.

Uſus ejuſdem pulveris tamen debet eſſe moderatus, nam ejus abuſu genus nervoſum ita hebetatur, ut vel nullo ex ſtimulo moveatur. Hinc ii plerumque ſunt ſtupidi, nec fiunt alacres, niſi ſtatim a ſomno per pulverem hunc ſtimulati excitentur quaſi, praeterquam quod faciem ſibi defoedent, naresque obturent, quas Hippocrates, *Epidem. lib. 6. ſect. 2.* juſſit eſſe apertas, & Natura eum in finem conſtruxit. Ac praeterea dolores capitis producit, oculis maxime nocet, ita ut caecitatem incurabilem intulerit, ſicuti utroque in oculo Rolfincius obſervavit: imo quoque plurimi odoratu omni inde deſtituuntur, & quod peſſimum eſt, paleſcunt atque exareſcunt.

§. XI.

Virginiae incolae ante Anglorum adventum, ſibi tubulos, quibus nicotianae fumum attraherent, e creta figulari confecerant, hos Angli in patriam reduces imitati ſunt. Et ex illo tempore in univerſo orbe terrarum invaluit iſtiusmodi fumigatio. Sed Mauri, Turcae, aliique, quibus calor fumi minus arridet, longioribus & incurvatis utuntur tubis ligneis aut arundinaceis, capiti fiſtulæ

ſtulae adaptatis, aut fumum per aquam tranſmiſſum hauriunt (a) qui ſuaviſſimus & optimus videtur modus, quia non tantopere calefacit, adurit ac ſalivationem adeo largam procreat.

§. XII.

Nicotianae fumus, vi qua pollet incidendi, penetrandi, reſolvendi, calefaciendi & exſiccandi, frigidis, pituitoſis ac phlegmaticis, modico tamen & convenienti uſu, proficuus eſt. Fumigatio debet fieri (1.) mane aliquot horis ante meridiem, parum refert num ante vel poſt jentaculum fiat; Sunt qui ea delectuntur magis jejuno ſtomacho, alii vero non, & praecipue quibus ſaliva liquorque gaſtricus abundant, (2.) poſt prandium, ciborum digeſtione abſoluta, id eſt quatuor vel quinque horis praeterlapſis. (3.) Idem ordo etiam poſt coenam obſervandus eſt, ſomnus enim inde ſequitur tranquillus, & reficiens. Tempore hyberno, vernali, autumnalique, proficua cenſenda eſt fumigatio, tempore vero aeſtivo non: ſed tamen Copnophilis tunc unius fiſtulæ fumum per diem concedimus, tempeſtate nimirum humida, pluvioſa exiſtente, matutino vel veſpertino praeſertim tempore. Non convenit autem omni aetati, ita pueris infenſus eſt fumus, propter corpus eorum tenerum, molle ac facile irritabile; licet vero hi humoribus abundare videantur, nullatenus haec abundantia, cum aetati iſti ſit propria, tam potenti exſiccante & conturbante vexanda. Adoleſcentibus vero, adultis & ſenibus conducit.

§. XIII.

Jam in ſpecie explicabimus, in quibusnam affectibus proficuus ſit noſter fumus. Fumigatio haec utiliſſima eſt, ad liberandum caput a nimia abundantia humorum pituitoſorum, viſcidorum, ſeroſorum, lymphaticorumque; exinde vero praeſervativum eſſe poterit remedium, ad catarrhos, affectusque ſoporoſos, ortos a cauſis mox dictis: Obſervavit SCLEVOGT foeminam graviſſima

(a) Cujus ultimi modi figuras videre licet in NEANDRI *Tabacolog. gallic.*

viſſima vertigine laborantem, nicotianæ fumo liberatam. COMMERC. *Litt. Norimb. Anni* 1713. *hebdom.* 4 *No. III.* LAZ. RIVERIUS *Obſerv.* 5. *Cent.* 260. refert, quemdam puerum ab epilepſia liberatum fuiſſe eodem. Fumi uſum horis matutinis confortare memoriam & homines diſponere ad meditandum, ratiocinandum, ſine interruptione aliarum idearum, experientia conſtat: Sic etiam eodem tempore hauſtus confortare viſum, ac conducere ad oculorum morbos varios, ut cataractam, epiphoram &c. provenientes a ſupradictis cauſis, confirmatur hac obſervatione propria cujuſdam Vinitoris, temperamenti phlegmatici, 56. annorum circiter, cui viſus jam ſpatio duorum annorum imminuebatur, donec tandem fere abolitus fuerit; erat praeterea piger, ſomnolentus, vertiginoſus; oculi erant pallidi, turgidi, humidi, & caliginoſi: adeoque juſtus erat metus futurae apoplexiae ſeroſae: ex conſilio meo ſpatio trium ſeptimanarum, ſugendo quotidie mane & veſperi nicotianae fiſtulam unam, convaluit, & ex illo tempore optima ſanitate fruitur: Notabile eſt, quod intra has tres ſeptimanas, maximam humorum quantitatem excreverit, per nares, os, & alvum. Ad narium aeque ac aurium morbos, a dictis cauſis ortos, utilis eſt, ſicut & ad dentium dolorem, prohibet enim, ne corruptio ulterius ſerpat, & dentes ſimul firmat. In maxillae inferioris paralyſi utiliſſimum fuiſſe, experientia docuit. In uvulae ſeroſa defluxione, frequens nicotianae fumus egregie profuit, FRID. HOFMANNUS *oper. omn. tom.* 3. *pag.* 262. In angina aquoſa aeque ac in intumeſcentia glandularum oris, laryngis, pharyngis, &c. nec non in dyſpnoea, aſthmate, orthopnoea, tuſſi, peripneumonia, tam vera, quam notha, pleuritide, phtyſi, vomica &c. cum magno ſucceſſu idem adhibetur.

§. XIV.

Fumus nicotianae ore attractus ſtimulat quoque alvum; nullam, mea ex ſententia, aliam ob cauſam, tam quod hic, ſale ſuo volatili, acri, tunicas oris & faucium irritando, quam cum ſaliva mixtus ac deglutitus, motum periſtalticum promoveat, ſicque contenta celerius protrudat per inteſtina & alvum: unde utilem eſſe judi-

judicamus iis, qui ordinario alvum ſtrictiorem habent, ut Muſarum Filiis ac vitam ſedentariam agentibus in genere. Ad lumbricos expellendos utiliſſimus etiam eſt, imprimis ſi cum ſaliva deglutiatur. Hyſtericos cruciatus reprimit ore ſuctus Ephem. *N C. Dec.* 2. *Ann.* 2. *Obſ.* 7. Specie clyſterum alvo impulſum fumum, ſolent nonnulli valde decantare, contra alvi contumaciſſimam conſtipationem, affectus colicos, iliacos & tormina: modum applicandi & inſtrumentum exhibet Bartholinus, *in Cent. VI. hiſtor.* 66. Eundem utero immiſſum in ſuffocatione hyſterica, miros produxiſſe effectus refert Joannes Rajus in *Hiſt. plant. univerſ. lib.* 14. *c.* 20. Ad rheumaticos affectus, chiragram podagramque etiam proficua eſt haec fumigatio. In ulceribus tibiarum praeſtantiſſimum fuit remedium hic idem: Ephem. *N. C. Dec.* 2. *Ann.* 3. *obſ.* 167. Wedelius *in Amoenit. Mat. Med. lib.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 7. *&* 11. meminit, cineribus nicotianae, fumo inſimul hauſto, inſperſis, ulcera genu dextri per multos annos aperta, occluſa fuiſſe.

§. XV.

Hominibus ſucci plenis ac obeſis, modica quantitate in uſum tractus, multum prodeſt: quod ſequens propria obſervatio clare probat ac docet, nimirum Vir quidam habitus corporis adeo obeſi erat, ut pedibus inſiſtere vel ſe loco movere vix potuerit, quin ſtatim in ſoporem fuerit prolapſus, huic nicotianae fumum commendavi, quo jucundo remedio per aliquod tempus delectatus, habitum corporis priſtinum recuperavit. Fumigatio laſſitudinem tollit & homines alacres ac aptos reddit ad labores tolerandos, quod Mauri, referente Monardo, optime norunt, ac etiam operarii, durioribus laboribus vitam ſuſtinentes, ut praeſertim lignum mercede conducti findentes, qui fiſtulis breviſſimis, vix dentibus ac labiis tenendis, fumum calidum & foetidiſſimum attrahere delectantur, germani hinc dicunt: ein Holtzhäuer Pfeiffgen, ne impedimento ſint operibus ſuis peragendis. Animum etiam addere & augere perhibetur nicotianae fumigatio: Quare *Tuppin Imbas*, ſacerdotes Indorum, *Caraibes* alias dicti, militibus ſuis, in pugnam ituris, tabaci fumo afflant faciem dicendo ſimul: *accipite*

omnes ſpiritum fortitudinis, quo hoſtes noſtros ſuperetis, juxta LERIUM, *Navigat. Braſil. p* 220. Optima etiam eſt adoleſcentibus hominibusque libidinoſis, anſam enim illis dat, animum ad ſe revocandi. Nec non hominibus ſolitariis, moerentibus, & adverſa fortuna conflictatis, quia ſaepiſſime iis optimum dat oblectamentum & ſolatium: praecipue vero hyeme, quibus tempora ſomni arctiora ſunt, quam noctis, lucubrando fumum utiliter hauriunt, quod VIR quidam *venerandus helvetus in Epiſtola* ſua ad *Celeberr.* THEODORUM ZUINGERUM olim data, propria experientia confirmavit, ac ſequentibus verſiculis jocoſe expreſſit.

Dum mea contorquet nocturno ſtamina fuſo
  Uxor & haud feſſo pollice fila vocat:
Cantillo interdum & nigrantem exugo Tabaccum,
  Laſſus quippe libris, non ſatiatus eis.
Multa ſuper Priamo narrat, ſuper Hectore multa,
  Non reponſurum garrula multa rogat.
Hanc ego dum vitam contemplor, ſaepe videtur
  Cum Junone mihi Jupiter eſſe ſua.

Egregia etiam ejus eſt vis ad famem ſedandam (quo ſcopo ſolo primum ejus uſus invaluit) quam milites, aliique ſaepiſſime experiri coguntur. Proficuus etiam eſt noſter fumus, nautis, ac populis, loca maritima, paludoſa, humida, nebuloſa incolentibus, militibus, aliisque, qui ſub dio humique cubare, in annona miſere cibare, aquas putridas bibere, non raro coguntur. Contra Peſtem, idem modica quantitare ore ſuctus, praeſtantiſſimum eſt praeſervativum, imoque remedium: quod Angli experti ſunt, nam plurimi ſolius nicotianae uſu a maligna labe praeſervati, imo nonnulli peſtilentia jam infecti, conſervati fuerunt, omnesque aedes in quibus nicotiana vendebatur. Haec fuit ratio, quod proprias aedes conſtituerint, ut fiſtulis his fumiferis aer corrigeretur. Ac hoc modo profligando ac expellendo unam peſtis ſpeciem, aliam atque novam introduxerunt, quae jam graſſatur per totum orbem terrarum.

§. XVI.

§. XVI.

Nullum eſt dubium nicotianam veram ex America allatam, virtute ſua multum ſuperare noſtram Europeam, tanqucm in alieno climate ac ſolo peregrino & ſibi minus convenienti enutritam: Attamen Nicotiana Europea, caeteris paribus, praeferenda mihi videtur Americanae ob varias rationes, 1°. quia melius congruit cum temperamento noſtro, quam Americana. 2°. quod recens magis ac ſelecta haberi poſſit, quam illa transmarina, cujus maxima pars plerumque eſt ſuſpecta, adulterata, rejectitia, in navi ſuffocata, vel immerſa lacunae, aut vetuſtate corrupta, vel non debito tempore & loco (unde noxia admodum fieri poteſt) collecta ſit: & 3°. quia non ſatis ab omnibus nota eſt. Maxima vero pars hominum ita conſtituta & adeo ſtulta eſt, ut ſemper exotica, etſi magis noxia ſanitati, ac pretioſa admodum ſint, indigenis praeferantur, quod aromatum acerrimorum exemplo, luce meridiana clarius patet, quae e longinquis regionibus allata, maximo comparantur pretio, in ſummum vitae ac ſanitatis detrimentum, cum tamen patria abundet mitioribus aromaticis, conſtitutioni noſtrae & vitae generi magis convenientibus: Hanc prodigalitatem rerumque patriarum ac indigenarum contemptum JUVENALIS acute, ut ſolet, perſtringit, dicendo, *Magis illa juvant, quae pluris emuntur.* Nicotiana ranquam optima ſeligenda eſt, coloris ſubflavi, fuſcique, odoris ſuavis non tetri, ſaporis non nimis acris, nec linguam urentis. Caeterum cum de guſtibus non ſit diſputandum, inquirat quiſque, qualis nicotiana palato ſuo magis arrideat.

§. XVII.

Dantur vero plurimi homines, qui nicotianae fumum purum ac ſimplicem ferre non poſſunt: ut hinc incommodo huic occurrant Medici, nicotianae compoſitum aliquod commendant, quale inſtar omnium eſſe poteſt illud deſumptum ex *p.* 1200. *ſeq. Theat. Botan.* laudati THEODORI ZUINGERI, ex. gr.

 ℞. Rad.

℞. Rad. Calam. arom.
Galang. ãã ℥ß.
Caryoph. aromat. ℈ II.
Flor. Lavandul.
Roſar. rubr.
Tunic.
Macis.
Herb. Roriſmarin.
Majoran.
Fol. Laur. ãã ℈ I.
Nicot. Virgin. ℥ß.
Sem. Coriandr.
Cardomom. ãã ℈ I.
Oliban.
Maſtich.
Styr. Calam.
Benzoe.
Succin. alb.
Ladan. ãã ℈ II.
Lign. Santal. Citr.
Rhod.
Cort. Cinamom. ãã ʒ I.
Moſch. gr. II.
M. incid. groſſ. mod. ſicut nicotiana.

Hoc compoſitum tanta virtute pollet ac nicotiana ſimplex, praeterea tam ſuavem odorem communicat conclavi, quem fere quiſque tollerare poteſt: hinc utile hominibus caſtra Veneris ſequentibus, ne purae nicotianae fumo, ſexu ſequiori adeoadverſo, hujus contemptui ſe exponant: qui non audent ſimplicem nicotianae fumum haurire, ne jacturam faciant favoris Amicarum ſuarum. Haec vero de uſu, nunc adhuc breviter de abuſu fumigationis dicemus.

§. XVIII.

Cum rerum ſic dictarum naturalium abuſus non tollat earum uſum, atque conſuetudo habeatur a quibuſdam pro altera natura, tamen

tamen omne nimium vertitur in vitium: Id praecipue etiam reſpectu abuſus fumi noſtri valere, tam a priori, quam poſteriori evinci facile poſſet. Quis neſcit, maximam hominum partem ita fumo Peti delectari, ut ſine eo vitam tranquillam & jucundam trahi poſſe, audacter negarent, imo, rebus ad vitam abſolute neceſſariis, vel plane carere, vel parcius uti malint, quam fumo hoc & fumi umbra abſtinere. *Non pauci, ubi vix pedem lecto extulerunt, ſtatim ad has ſuas delicias convolant, & per magnam diei & noctis partem taedia ſua hoc nephentes vino fallunt, ingenti utique & temporis & ſanitatis diſpendio.* HIST. *morb. Uratisl. p. m.* 293. Quem latet, ubique fere aedes publicas in hunc uſum vel potius abuſum conſtitutas eſſe, vel etiam privatas formatas eſſe ſocietates, in quas determinata diei hora Capnophili aliique frequentes confluant, graviſſima ſua negotia, hiſce ſuis deliciis ſaepe poſtponentes, ſic vitae ſuae tertiam vel quartam fere partem hoc fumo obnubilatos ac inquinatos tranſigere. Quam male vero hoc abuſu conſulatur ſanitati, jam diu recte agnoverunt quidam Principes, quibus ſubditorum ſalus curae cordique fuit; nam animadvertentes horum corpora hinc enervari, ad varios diſponi morbos, nicotianae uſum plane prohibuerunt. Sic Moſcoviae Imperatorem venditoribus ac emptoribus hujus herbae gravem impoſuiſſe mulctam, refert OLEARIUS *in Itin. Perſar.* Turcarum Imperator AMURATES IV. edicto capitali cavit, ne quiſquam hoc fumo uteretur. Angliae Rex JACOBUS I. in Academia Oxonienſi publice diſputavit contra hanc fatuitatem, ac exemplis quamplurimis morbos inde contractos, ut pectoris affectus inſanabiles, deliria, convulſiones &c. comprobavit, ut in ejus *Miſocapno, ſive de abuſu Nicotianae, luſu regio Ultraject.* 1644 videre licet. Quantum vero emolumenti hiſce dehortationibus ac poenis redundaverit in genus humanum, docet hodierna experientia ubique fere terrarum, quid mirum itaque, ſi & nos multo magis, ſurdis narremus fabulam; Nam indiſcriminatim, nulla habita ratione temperamenti, vitae generis &c ab omnibus fere omni tempore in uſum trahitur frequentem; Et ſicuti decoctum fabarum coffé ad omnis generis morbos, tam praeſervandos, quam ſanandos, tamquam Medicina univerſalis cum voluptate ſumma aſſumenda, a ſexu ſequiori dulciſſimis verbis ac encomiis commendari

mendari ſolet; Ita etiam uſus noſtri fumi apud Viros inſtar Panaceae in ſimilem ſcopum invaluit. Hortamur autem Petiſugos, ut memores ſint verborum CICERONIS *lib.* 2. *off. ſuſtentatur valetudo* (ait) *notitia ſui corporis & obſervatione earum, rerum, quae res aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe, & continentia in victu omni atque cultu corporis tuendi cauſa, & praetermittendis voluptatibus* &c. Jam erunt itaque inquirenda temperamenta, quibus fumigatio noxia eſt, & recenſenda ſunt mala in genere, quae a nimis ejus frequenti uſu producuntur.

§. XIX.

Superius diximus fumigationem phlegmaticis proficuam eſſe; ſed e contra cholericis, melancholicisque temperamentis nocet, quia hi in genere vaſa habent robuſta, contracta, viſcera valida, humores paucos, & valde motos, ſpiſſos, acres, non facile ſeparabiles, aut mutabiles: Itaque humectantia, diluentia, temperantia, relaxantia, emollientia &c. his profuut; Calefacientia, roborantia, exſiccantia, & adſtringentia &c. nocent, quo pertinet ipſa fumigatio, ſicque oleum adderetur camino; Sanguineis vero minus nocet, ſed rariſſima, tempeſtate nimirum pluvioſa, nebuloſa, frigida: Si enim hoc fumo frequentius uterentur, ſuum bonum hoc temperamentum mutarent in pejus, in cholericum nimirum & melancholicum.

§. XX.

Frequentior fumigatio calefacit, ſiccat, & conſumit naturalem utilemque lympham vel humiditatem cerebri, inde humores fiunt acres, ſpiſſi & immeabiles, hinc obſtructiones, inflammationes & mala, quae ex his oriuntur, ut ex. gr. cephalalgia, vertigo, coma vigil & ſomnolentum, cataphora, carus, apoplexia, epilepſia, viſus, olfactus, auditus ac memoriae debilitates, nec non convulſiones & febres varii generis. Crebrior fumi hauſtus corrodit dentes, gingivas, inflammat partes in ore contentas; Producit praeterea anginam, tuſſim, diſpnoeam, aſthma, peripneumoniam, pleuritidem, phtyſin, haemoptyſin &c. Fumi nicotianae abuſus ventriculo adverſatur, eumque debilitat, impedit digeſtionem ciborum, ob ſalivae defectum (praecipue ante vel ſtatim

poſt

poſt cibi aſſumptionem in uſum vocatus) hinc dyſorexiam, anorexiam, & mala ex his ſequentia, creat: Et haec eſt ratio, quod Petiſugi ordinario macilenti ſint corporis habitus, & faciem ad Hyppocraticam proxime accedentem plerumque habeant; ſanguis enim eorum eſt vappidus, acris, ſeroſus & crudus. Nicotianae fumus liberalius fiſtula attractus, ſitim creat, & ſi huic incommodo ac nimiae exſiccationi occurant Capnophili profuſiori potu, tunc labaſcit inundatus ventriculus, ſequuntur cachexiae, hydropes &c.

§. XXI.

Mala ex frequentiori nicotianae uſu producta, obſervationes variae docent. Sic moleſtum in ſincipite dolorem, cum ardore conjunctum, ſibi contraxit Baro ille, cujus meminit TH. BONETTUS *Anat. Pract. lib.* 1. *ſect.* 1. *obſerv* 11. In EPHEMERIDUS *Germ. Ann.* 8. *obs.* 76. legimus de foemina quadam, quae ex abuſu tabaci, febri ardente correpta fuit, cum inſigni praecordiorum anguſtia, cordis palpitatione, virium languore, motibus epilepticis, ventriculi & capitis dolore, maximaque faucium inflammatione, mentis commotione, ita quidem, ut propter ſymptomatum vehementiam, jam jam animam videretur exhalatura. Verum illa tabaci in funem contorti, ſpatio duarum ſeptimanarum, ulnas tres cum dimidia maſticando exſugere ſolebat; Obſervent haec fumiſugi illi continui, iisdem enim malis obnoxii ſunt. Crebriorem nicotianae uſurpationem, apoplexiam inducere HELMONTIUS *tract. de lithlaſ. c.* 9. §. 76. TULPIUS *lib.* 1. *obs. med. c.* 6. JOHANNES HFLWIG *obs. Phyſic. med.* 45. CHRIST. SCHORER *Bedencken vom Schlag, pag.* 206. aliique probant. Epilepſiam EPHFM. *N. C.* 2. *Ann.* 7. *obs.* 196. Tuſſim, aſthma, faucium colliqueapoſtemata vel ulcera ANTONIUS *de* HEIDE *obs. med.* 2. Haemoptyſin, PHIL. JACOBUS SCHENFELD *hiſt. m.ed.* 38. *lib.* 1. *p.* 147. Atrophiam ac phtyſin SCHNEIDERUS *lib.* 2. *ſect.* 2 *de Catarrh. c.* 2. & ſterilitatem creat fumi hujus abuſus EPHEM. *N. C. Dec.* 1. *ann.* 3. *obs.* 41. *p.* 69. & *Dec.* 3. *ann.* 1. *obs.* 4. Corpus debilitat & vitam breviorem reddit, EPHEM. *N. C. Dec.* 2. *ann.* 3. *obs.* 167. *p.* 321. ACT. ERUD. *Lips. ann.* 1700. *p.* 526. TH. BONNETTUS

in

J756
P489d
16-175

in anat. pract. lib. 1. *ſect.* 20. *obſ.* 6. oſtendit olfactum a frequentiori fumigatione hac debilitari. PETRUS BORELLUS *Cent. IV. obſ. XXXI.* hiſtoriam habet alicujus, qui a ſociis ad nicotianae uſum invitatus ac provocatus, ejus fumum ore attraxit, ſed artis ſuae minus peritus, fumum illum ore reddere neſcius, deglutiverat, ac inde ſe adeo male habuit, ut icterum ſibi contraxerit. Fumus idem non adeo magna in quantitate ore aſſumptus, ingentes anxietates cum ſudore frigido, chephalalgiam, vertiginem, faciei pallorem, nauſeam, vomitiones ad animi usque defectionem, in non aſſuetis producit. Quod in hac arte Magiſtri probe norunt, quorum plerique in tyrocinio ſuo eadem mala perpeſſi ſunt, tantique emerunt ſuas ſic dictas delicias. An autem nicotianae fumus cerebrum nigris obducat cruſtis, quaſi fuliginoſis? uti quibuſdam viſum eſt, aſſerere non audeo, cum via ac fumarium, per quod in calvariam adſcendere poſſit hic fumus, hucusque demonſtratum nondum ſit. Hoc autem certum eſt, quod idem pulmones reddere poſſit nigros, & retorridos, non ſecus acſi fumo indurati fuiſſent, exemplum profert TULPIUS *lib.* 1. *c.* 6. item BARTHOLINUS *de pulm. ſect.* 1. *p.* 9. & *cent.* 1. *Hiſt. An.* 5. & *cent.* 3. *Epiſt. p.* 371. item *van der* LINDEN *Med. Phyſiol. c.* 6. *n.* 153. ut etiam HOFMANNUS *lib.* 2. *de medicam. officin. c.* 3. *p.* 327. Hi omnes & plures alii varias referunt obſervationes vitiorum pulmonalium ex ſuffitu nicotianae contractorum.

Sed heic finem impono, B. L. rogans, velit primos hos impetus academicos aequi bonique conſulere, ac uſûs moralis ſimul eſſe memor, *quod & nos fumus ac umbra ſimus.*

FINIS.